The Digital *Liber exceptionum* Project (https://exceptiones-project.wlu.ca)

Gregorius moralium liber 2 (fol.53vb-54ra)

1. Scriptura sacra mentis oculis quasi quoddam speculum opponitur ut interna nostra facies in ipsa uideatur.

   Scriptura sacra mentis oculis quasi quoddam speculum opponitur, ut interna nostra facies in ipsa uideatur.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 2.1 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.59, ll.1-2).

2. Iob describitur temptatione auctus. sed dauid temptatione prostratus ut et maiorum uirtus spem nostram foueat. et maiorum casus ad cautelam humilitatis attingat. quatenus dum illa gaudentes subleuant ista mentuentes premant. et audientis animus. illinc spei fiducia. hinc humilitate timoris eruditus nec temeritate superbiat quia formidine premitur. nec pressus timore desperet. quia ad spei fiduciam uirtutis exemplo roboratur. Quadam die cum uenissent filii dei. et mittuntur angeli et assistunt quia et per hoc quod circumscripti sunt exeunt. et per hoc quod intus quoque presentes sunt nequaquam recedunt. et faciem ergo patris semper uident et tamen ad nos ueniunt quia et ad nos spirituali presencia foras exeunt. et tamen se ibi unde recesserant per internam contemplationem. servant.

   Ecce enim Iob describitur temptatione auctus sed Dauid temptatione prostratus, ut et maiorum uirtus spem nostram foueat et maiorum casus ad cautelam nos humilitatis accingat; quatenus dum illa gaudentes subleuant ista metuentes premant; et audientis animus illinc spei fiducia hinc humilitate timoris eruditus, nec temeritate superbiat quia formidine premitur, nec pressus timore desperet quia ad spei fiduciam uirtutis exemplo roboratur.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 2.1 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.59, ll.12-20). cf. Iob 1:6

   Quadam die cum uenissent filii Dei, ut assisterent coram Domino, adfuit inter eos etiam satan. Qui autem Dei filii nisi electi angeli uocantur?

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 2.3 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.60, ll.1-3).

   Et mittuntur igitur et assistunt, quia et per hoc quod circumscripti sunt, exeunt; et per hoc quoque quod intus praesentes sunt numquam recedunt. Et faciem ergo Patris semper uident et tamen ad nos ueniunt, quia et ad nos spiritali praesentia foras exeunt et tamen ibi se, unde recesserant per internam contemplationem seruant.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 2.3 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.61-2, ll.36-42).

3. Ecce uniuersa et cetera. Mala cum multa electis eueniunt. mira conditoris gracia ex tempore dispensantur ut que coaceruata perimerent possint diuisa tolerari.

   Ecce uniuersa quae habet, in manu tua sunt: tantum in eum ne extendas manum tuam…. Mala enim cum multa electis eueniunt, mira conditoris gratia ex tempore dispensantur, ut quae coaceruata perimerent, possint diuisa tolerari.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 2.11 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.71, ll.1-2, 10-12). cf. Iob 1:12

4. Egressus est sathan a facie domini. deus ipse manet intra omnia ipse extra omnia ipse supra omnia ipse infra omnia. et superior est per potentiam et inferior per sustentationem et exterior per magnitudinem et interior per subtilitatem sursum regens. deorsum continens. extra circumdans interius penetrans. nec alia ex parte superior alia inferior aut alia ex parte exterior. atque ex alia manet interior sed unus idemque totus. ubique presidendo sustinens sustinendo presidens circumdando penetrans penetrando circumdans. Vnde superius presidens inde inferius sustinens. et unde exterius ambiens. inde exterius replens sine inquietudine superius regens. sine labore inferius sustinens. interius sine extenuatione. quo igitur exitur ab eo qui dum per molem corporis nusquam est per incircumscriptam substantiam nusquam deest? sed quandiu sathan pressus maiestatis potencia appetitum sue malicie exercere non ualuit quasi ante faciem domini stetit. a facie autem domini exiit. quia relaxatus diuinitus ab interne retentionis angustia ad sui desiderii effectum uenit.

   Egressusque est satan a facie Domini…. Quia enim ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia; et superior est per potentiam et inferior per sustentationem; et exterior per magnitudinem et interior per subtilitatem; sursum regens deorsum continens; extra circumdans interius penetrans; nec alia ex parte superior alia inferior, aut alia ex parte exterior atque ex alia manet interior. Sed unus idemque totus ubique praesidendo sustinens, sustinendo praesidens, circumdando penetrans, penetrando circumdans; unde superius praesidens inde inferius sustinens; et unde exterius ambiens inde interius replens; sine inquietudine superius regens sine labore inferius sustinens; interius sine extenuatione penetrans exterius sine extensione circumdans. Est itaque inferior et superior sine loco; est amplior sine latitudine; est subtilis sine extenuatione. Quo igitur exitur ab eo qui dum per molem corporis nusquam est, per incircumscriptam substantiam nusquam deest? Sed quamdiu satan pressus maiestatis potentia, appetitum suae malitiae exercere non ualuit, quasi ante faciem Domini stetit. A facie autem Domini exiit, quia relaxatus diuinitus ab internae retentionis angustia, ad sui desiderii effectum uenit.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 2.12 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.72-3, ll.1, 16-43). cf. Iob 1:12

5. Prenuncia tribulationis est leticia sacietatis. filiis tuis et filiabus uescentibus et cetera. A minimis incipiens sathan in ultimum grauiora nunciauit. ut dum Iob gradatim deteriora cognosceret in eius corde doloris locum omne uulnus inueniret.

   Nam quamuis potestatem acceperit, aptum tamen ad submersionem tempus exquisiuit, ut uidelicet nobis Deo dispensante proderetur, quia praenuntia tribulationis est laetitia satietatis.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 2.13 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.73, ll.10-13).

   Loquebatur ille, et ecce alius intrauit et dixit: Filiis tuis et filiabus uescentibus et bibentibus uinum in domo fratris sui primogeniti, repente uentus uehemens irruit a regione deserti, et concussit quattuor angulos domus quae corruens oppressit liberos tuos et mortui sunt; et effugi ego solus ut nuntiarem tibi…. Sed a minimis incipiens, in ultimum grauiora nuntiauit ut dum gradatim deteriora cognosceret, in eius corde doloris locum omne uulnus inueniret.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 2.15 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.75-6, ll.10-16, 43-45).

6. Dum in maioris fratris domo conuiuantur pereunt quia tunc hostis contra nos uehementius uires accipit. quando et ipsos qui pro custodia discipline prelati sunt letitie seruire cognoscit. tanto enim licentius ad feriendum occupat quanto et hii qui intercedere pro culpa poterant uoluptati uacant.

   Dum ergo in maioris fratris domo conuiuantur, pereunt quia tunc contra nos hostis uehementius uires accipit, quando et ipsos qui pro custodia disciplinae praelati sunt laetitiae seruire cognoscit. Tanto enim licentius ad feriendum occupat quanto et hi qui intercedere pro culpa poterant uoluptati uacant.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 2.16 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.76, ll.59-64).

7. Nudus egressus sum et cetera. Magna consolatio in rerum amissione est illa tempora ad mentem reducere quibus nos contigit illas res quas perdidimus non habuisse.

   Nudus egressus sum de utero matris meae, nudus reuertar illuc…. Magna enim consolatio in rerum amissione est, illa tempora ad mentem reducere quibus nos contigit res quas perdidimus non habuisse.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*. 2.17 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.78, ll.1-2, 7-10). cf. Iob 1:21

8. Dominus dedit dominus abstulit. Magna est consolatio in eo quod displicet quod ordinante illo erga nos agitur. cui non nisi iustum placet.

   Sanctus uir, temptante aduersario, cuncta perdiderat, sed tamen sciens quia contra se satan temptandi uires, nisi permittente Domino, non habebat, non ait: Dominus dedit, diabolus abstulit, sed: *Dominus dedit, Dominus abstulit*…. Magna quippe est consolatio in eo quod displicet quod illo ordinante erga nos agitur, cui nonnisi iustum placet.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 2.18 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.79, ll.2-6, 16-18).

9. Electorum corda ad se semper sollicite redeunt et semet ipsa grauiter uel pro leui motu excessionis affligunt. et dum mota discunt qualiter stare debuerint aliquando melius concussa solidantur.

   Et quidem electorum corda ad se semper sollicite redeunt et semetipsa grauiter uel pro leui motu excessionis affligunt; et dum mota discunt quomodo stare debuerint, aliquando melius concussa solidantur.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 2.46 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.102, ll.57-60).

10. Aliis pereuntibus unus ad domum redit. dum turbatis in temptatione motibus. discretio ad conscienciam recurrit ut quod repentinis incursibus preoccupata mens se perdidisse. pensat. hoc compunctionis studio afflata recipiat.

    Aliis ergo pereuntibus unus ad domum redit, dum turbatis in temptatione motibus discretio ad conscientiam recurrit, ut quod repentinis incursibus praeoccupata mens perdidisse se pensat, hoc compunctionis studio afflicta recipiat.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 2.46 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.102, ll.71-74).

11. Omnis qui dispensandis rebus terrenis presidet occulti hostis iaculis lacius patet.

    Omnis enim qui dispensandis terrenis rebus praesidet, occulti hostis iaculis latius patet.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 2.48 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.103, ll.9-10).

12. Quia dispensationis curas maligni spiritus modo torpenti uel precipitata actione feriunt modo pigra uel immoderata locutione confundunt. pene autem semper nimiis cogitationum molibus premunt. tribus turmis caldei camelos rapiunt.

Quia igitur dispensationis curas maligni spiritus modo torpenti uel praecipitata actione feriunt, modo pigra uel immoderata locutione confundunt, paene semper autem nimiis cogitationum molibus premunt, tribus turmis Chaldaei camelos rapiunt.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 2.48 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.104, ll.34-38).

13. Ventus uehemens quatuor angulos domus concutit dum fortis temptatio occultis motibus quatuor uirtutes us capit et quasi quassatis oculis angulis domus erutitur. dum pulsatis uirtutibus consciencia turbatur.

Ventus ergo uehemens quatuor angulos domus concutit, dum fortis tentatio occultis motibus quatuor uirtutes quatit; et quasi quassatis angulis domus eruitur dum pulsatis uirtutibus conscientia turbatur.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 2.49 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.106, ll.30-33).

14. Donum spiritus quod in subiecta mente ante alia prudenciam temperanciam fortitudinem iustitiam format eandem mentem. ut contra singula queque temptamenta erudiat. in septem mox uirtutibus temperat. ut contra stulticiam sapientiam contra hebitudinem intellectum. contra precipitationem consilium. contra timorem fortitudinem. contra ignoranciam scientiam contra duriciam pietatem contra superbiam det timorem.

Donum quippe Spiritus quod in subiecta mente ante alia prudentiam, temperantiam, fortitudinem, iustitiam format, eamdem mentem ut contra singula quaeque tentamenta erudiat in septem mox uirtutibus temperat, ut contra stultitiam, sapientiam; contra hebetudinem intellectum; contra praecipitationem consilium; contra timorem fortitudinem; contra ignorantiam scientiam; contra duritiam pietatem; contra superbiam det timorem.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 2.49 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.106, ll.37-45).

15. Euersa domo moriuntur filii quia turbata in temptatione consciencia. ad utilitatem proprie agnitionis. raptim et in momento temporis obruuntur gennite in corde uirtutes. qui profecto filii intus per spiritum uiuunt. dum exterius carne moriuntur. quia uidelicet uirtutes nostre temptationis tempore. et si in momento turbate ab status sui incolumitate deficiunt per intentionis tamen perseueranciam integre in mentis radice subsistunt.

Euersa igitur domo, moriuntur filii quia turbata in temptatione conscientia ad utilitatem propriae cognitionis raptim et in momento temporis obruuntur genitae in corde uirtutes. Qui profecto filii intus per spiritum uiuunt dum exterius carne moriuntur quia uidelicet uirtutes nostrae temptationis tempore etsi in momento turbatae ab status sui incolumitate deficiunt, per intentionis tamen perseuerantiam integrae in mentis radice subsistunt.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 2.49 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.107, ll.92-99).

16. Mira nobiscum dispensatione agitur ut mens nostra culpe nonunquam pulsatione feriatur. nam esse se magnarum uirium homo crederet si nullum unquam earumdem defectum uirium intra mentis archana sentiret. Sed dum temptatione irruente quatitur et quasi ultra quam sufficit fatigatur. ei contra hostis sui insidias munimen humilitatis ostenditur. et unde se pertimescit eneruiter cadere inde accipit fortiter stare. temptatus autem non solum uires a quo accipiat discit sed quanta eas uigilancia seruet intelligit. Et tonso capite et cetera. Detonso capite in terram corruit qui repressis presumptionis sue cogitationibus quam in semet ipso infirmus sit humiliter agnoscit.

    Mira autem hoc nobiscum dispensatione agitur ut mens nostra culpae nonnumquam pulsatione feriatur. Nam esse se magnarum uirium homo crederet si nullum umquam earumdem uirium defectum intra mentis arcana sentiret. Sed dum temptatione irruente quatitur et quasi ultra quam sufficit fatigatur, ei contra hostis sui insidias munimen humilitatis ostenditur, et unde se pertimescit eneruiter cadere, inde accipit fortiter stare. Temptatus autem, non solum uires a quo accipiat discit sed quanta eas uigilantia seruet intellegit.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 2.49 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.108, ll.114-123).

    Et tonso capite corruens in terram adorauit…. Et detonso capite in terram corruit qui repressis praesumptionis suae cogitationibus, quam in semetipso infirmus sit humiliter agnoscit.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 2.52 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.109, ll.1-2, 17-19). cf. Iob 1:20

17. Pia conditoris dispensatione agitur ut de se confidens anima dispensatoria temptatione pulsetur. quatinus infirmata quid sit inueniat. et presumptionis proprie fastum deponat.

    Vnde ut saepe iam diximus, pia conditoris dispensatione agitur, ut de se confidens anima dispensatoria temptatione pulsetur quatenus infirmata, quid sit inueniat et praesumptionis propriae fastum deponat.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 2.52 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.110, ll.30-33).

18. Detonso capite in terram corruit ad. Ille uero deo orationem exhibet qui semet ipsum quasi puluis sit humiliter uidet. qui nichil sibi uirtutis tribuit qui bona que agit esse de misericordia conditoris agnoscit.

Et detonso capite in terram corruit, qui repressis praesumptionis suae cogitationibus, quam in semetipso infirmus sit humiliter agnoscit….

Ille enim ueram Deo adorationem exhibet qui semetipsum quia puluis sit, humiliter uidet, qui nihil sibi uirtutis tribuit, qui bona quae agit esse de misericordia conditoris agnoscit.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 2.52 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.109-10, ll.17-19, 57-59).